pergit paululum requiescat. Et dum oportunum fuerit intima
bo illi iuxta omnia uerba uestra. Interea dum appropinquassent
monasterio quo pergebant ecce illinc obuiam fratres egrediuntur
episcopo ymnum canentes. Suscepimus deus misericordiam tuam in medio
templi tui. Ingredientibus autem cum episcopo populis, intrat et euge
nia cum iacincto et proto comitibus suis — noti solummodo illi
cum quo sermonem paulo ante habuerant. Perfectis itaque matu
tinis laudibus quieuit beatus episcopus. et iussit sibi ad tertiam preparari
ut diuina misteria celebraret. Requiescens autem episcopus uidit
somnium in quo ad simulachrum femine ducebatur ut illi sacri
ficaret. Tunc dicebat inquiens per somnium his qui — eum
trahebant. Permittite me loqui cum dea uestra. Et cum permisissent
me loqui: dixi ei. Cognosce creaturam dei te esse. et descendens
noli permittere te adorari. At illa his auditis descendit. et secu
ta est me dicens. Non te deseram quousque creatori meo et con
ditori restituas. Igitur cum hec in animo episcopi uoluerentur
accessit ad eum eutropius cum quo paulo ante fuerant collocuti.
et dixit ei. Tres pueri unanimiter idolorum culturam deserentes, christo
seruientium numero in hoc monasterio sociari desiderant. et ho
die uestigia tua consequentes huc ingressi sunt: poscentes me
cum lacrimis et orantes. ut mererentur noticia tue benedicti
onis in fide firmari christi. Tunc beatus helenus gratias agens deo.
et conferens secum uisionem quam uiderat iubet uocari pue
ros. Et apprehendens manum eugenie fudit orationem. Quam
cum implesset: tulit sequestratim eos. Et gratissimo uultu qui
nam dicerentur interrogat: uel cuius nationis essent cepit ab eis
inquirere. Ad hec eugenia. Ciues inquit romani sumus. et unus
ex his duobus fratribus meis dicitur protus. alter iacinctus. Ego uero eugenius
noncupor. Cui beatus helenus ait. Recte itaque te eugenium
uocas: quia uiriliter agis. ut confortetur cor tuum. Pro fide quoque
quam uiriliter [illegible] assumis: recte uocaris eugenius. Nam scias
quod spiritu sancto re[illegible]uelante [illegible] et te eugeniam ante preuidimus.

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, lat. 5288, 19r – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-k57p/418/36958)